



NOTITIA ROMANI STATUS,

Quam
D. O. M. A.

In Electorali ad Albim Academia
PRÆSIDE

Præcellente atq; Præclarissimò

DN. M. JOH. CHRISTOPHORO
FUGMANNO,

Amplifs. Facultatis Philosophicæ Adjunctò
meritissimò,


DN. FAUTORE & PRÆCEPTORE

*suò plurimum honorandò
proponit*

CHRISTIANUS WYKDEG/
Torg. Misn.

d. 23. Decembr. M. DC. LXXI.

In Auditoriò Majori, Horis antemeridianis.



WITTEBERGÆ,

Literis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.

85
A



NOTITIA
ROMANA
STATVS



di
T
ad
bi
tir
nu
ub
eff

pt
fid
tun

cil
Sun
doc





I. N. D. N. J. C.

DELECTUS MATERIÆ.



Disertationem de notitiâ Romanæ rei conscribere, eamq; publicæ censuræ, Academicæ exercitationis gratiâ, subjicere, in animum induxi.

Hujus enim Reipublicæ statum habitumq; adeoq; proposita hominum, inclinationes ordinum, momenta temporum nosse desiderant omnes.

Quapropter rebus Romanis nullæ sunt vel uberius vel facundius descriptæ. Satis noti sunt in hoc genere *Livii, Ciceronis, Sallustii, Taciti, Svetonii, Flori*, aliorumq; labores, qui nihil omiserunt, quod ad ingenium Reipublicæ, ad consilium ac artes Imperantium, ad habitumq; deniq; rei Romanæ, qualis per quodque tempus erat, pertineret. Nec omiserunt hanc industriam Græci Scriptores, *Dio, Appianus, Dionysius, Plutarchus*. Ne de recentioribus monumentis dicam, ubi quilibet in cognoscendô Romanæ Reipublicæ statu se disertum esse gaudet.

Erit igitur fortassis nec inutile, nec injucundum, si ex variis Scriptorum locis, quæ ad notitiam Romanæ Reipublicæ faciunt, ita considero, ut copiosam & ponderosam voluminis materiam inchoasse tantum, ac lineamenta quædam duxisse videar.

Et quamvis tenuitas me mea ab incepto deterrere potuisset, facile tamen à benevolô Lectore veniam impetraturum me sperabam. Sunt enim hæ studiorum meorum primitiæ. Sum ipse & moneri & doceri vel à quolibet paratus.

*Difficultas notitiæ communis proponitur.
Judicium de Poplicolæ popularitate anno-
tatur.*

Quoniam communis illa & exterior notitia de inte-
riore cognitione participat; hîc loci etiam explicari debet.
Et tamen communis & vulgaris notitia multas habet dubi-
tationes. De formâ Regiminis, cùm libertatem usurparet Romana
Gens, vel doctis & prudentibus non statim in promptu fuit accuratè
judicare: Dum alii Optimatibus omnem Imperii vim tribuunt, non-
nulli de Populi potentiâ loquuntur; quidam temperatam mixtamq;
è diversis formam interpretantur. Neque aliter evenire solet circa
Germanorum Imperium, quod, cùm temperatam Principatu Aristoc-
ratiâ ex sacratæ legis, sanctionisq;ve aureæ Carolinæ autoritate ha-
beat, plurimi absolutam Regni formam describunt, & quodammo-
dò commentantur.

L. 6.
4. A. 33. 1. Uti autem nimis scholasticum foret, omnem in Imperiis mixtio-
nem negare; ita displicet mihi *Polybii* mens, quâ ille in Consulibus
agnoscit Monarchicæ potestatis Regimen, in Senatu Aristocraticam
vim, in multitudine Populi Imperium. Neque video rationes, quibus
hæ atq; tales sententiæ excusari possent. Verissimè enim & *περαγυα-
πιως* judicat *Tacitus*: *Delecta ex his & constituta Reipublicæ forma
laudari facilius quàm evenire, vel si evenit, haud diuturna esse potest.*
Ne dicam, in argumentis artibusq;ve civilibus abesse debere nimiam
ἀνεπίβειαν, quæ, dum speciosa dictu profert, in cerebellis hominum
potius, quàm in civitate Rempublicam ædificat.

Reperias etiam, qui de formâ Reipublicæ Romanæ variè disse-
runt in publicum, prout nimirum studium animi affectusq;ve sva-
dent. Neque inter tot recentiorum disceptationes res expedita cen-
feri potest. Quidam de merâ Democratiâ post ejectos Reges, quidam
de Aristocratiâ tantùm loquuntur: alii circa temporum vicissitudi-
nes mirè fluctuant.

Cùm verò Augustus & inter initia Tiberius prisca Imperii for-
mam simulachris quibusdam per arcana dominationis subdolè ad-
orna-

ornarent, de administratione rerum ex formâ loqvendi aut figurâ exteriori iudicium repetere minimè licebit.

Abundè erant illi, qui mutari aut communicari Regimen putant, quandò ex diversis aliquid temperamenti habetur. Romulum, constat, leges curiatis ad Populum tulisse, quoniam comitia auctoritate suâ regebat & decretis pondus vel demebat vel addebat, prout *Halycarnassens* testatur. Sed præter temperamentum Aristocratias nec quicquam invenitur. Et prudentia civilis hanc consuetudinem invexit, ut leges in commune plerumque consilium deducantur.

L. 2.

Cùm autem non specie, sed reverà mixtus daretur Regiminis status, novam difficultatem in cognoscendò iudicandòq; deprehendo. Non enim à modò agendi ac loqvendi seu ab exteriori figurâ administratio rerum petenda est.

Huc referre Servii Tullii Regis administrationem minimè vereor. *Dionysius* satis peritus in hoc negotiò scriptor, dimidiam partem à Regiò jure istum Regem detraxisse & Populo concessisse, breviter & accuratè iudicat: *Tullius*, inqvies, *Servius*, in constituendâ Republicâ, non eò tantum ad plebem fovendam, visus est proclivior, quòd Senatûs ac Patriciorum potentiam moderatus est; verum etiam quòd de Regiâ potestate detraxit dimidium. Eandem sententiam in aliò locò exhibet: *Penes populum arbitrium creandi Magistratus tam domi quàm militiæ, leges tam confirmandi quàm abrogandi, bellum pacemvè decernendi.* Magnum illud etiam *Ciceronis* est testimonium, quod ex libris de Republicâ laudat *Seneca*: *Provocationem ad Populum etiam à Regibus fuisse.* Scilicet, ut paucis me expediam, creverat in immensum Populi libertas, quæ Monarchiæ & Democratiæ conjunctionem, Regis Populiq; constituerebat Imperium. Sed expiravitne Patrum atque Optimatum potestas, qui Populi placita, ut auctoritatem obtinerent, suò iudiciò confirmare solebant? Fortè mixta erat Republica ex tribus formis, quàm multi jactitant. Verum tale unquam inter Romanos, extitisse Imperium, quod ex unius, & Optimatum, & Populi Regimine constabat, paulò antè non sine rationibus negavi. In hac enim mixturâ Patrum potestas non nisi simulachrum fuit. Hinc odia Patrum in Servium Regem, qui Populi partes tuebatur, coorta sunt. Non incommodè recensebo verba *Grotii*: *Vi Populi aucta speciem tantum veterem Patrum auctoritas retinuit, cum in incertum*

L. 3.

L. 4.

Ep. 108.

L. 1. J. B. P. c. 3.

§. 10.

A 3

comi-

L. 3.

c. 1.

3. A. 26. 5.

comitiorum eventum Patres auctores fieri cœperunt, ut Livius & Dionysius notant. Et ne autoritatem Optimates prorsus amitterent, in scelerata Tarquinii consilia haud rarò consentiebant, quod Dionysius clarè indicat: *Tarquinus Superbus*, inqviens, in Senatu plurimum habebat fiducia. Idem Historicus: *Modestè ferebant Patricii Servii administrationem, videntes diminui Senatûs potentiam*. Neque Taciti de hoc Regnò iudicium silentiò prætereundum: *Præcipuus*, inquit, *Servius Tullius sanctor legum fuit, quibus etiam Reges obtemperarent*.

Excipis: At verò tum veterum plurimi, tum recentiorum ii, quorum magna apud eruditos est autoritas de solò Regnò loquuntur. Rectè. Sententia modò istorum virorum explicetur, & omnis difficultas expirabit. A prævalente enim formâ denominatio peti solebat, ut Regnum utrobique diceretur, etiamsi alius Regum adstrictiùs, alius laxiùs habenas Imperii moderaretur. Ita exactis Regibus interdum Aristocratia, interdum Politia laudabatur, prout prævalere ista illavè pars credebatur.

Ex quibus ad oculos patet, neque statim neque omnibus in promptu esse, vel ex primis civilis doctrinæ elementis respondere, quotiens, quâ formâ Regiminis Respublica Romana, quoque tempore gubernata sit, in quæstione ponitur.

Lib. 3. de LL.
10.

L. 2.

L. 5.

Quòd si verò aliquis Reipublicæ Romanæ formam explicare velit, is forsàn non erraverit, si tale formet iudicium: Proximò post ejectos Reges tempore Aristocraticè administrata est Respublica, specie potiùs Democratia quam vi Populo concessâ. Ciceronis illustre habeo testimonium: *Quamobrem aut exigendi Reges non fuerunt, aut Plebi re, non verbò danda libertas; quæ tamen sic data est, ut multis præclarissimis addiceretur, ut autoritati Principum cederet*. Ab eâdem mente Livius: *Libertatis originem inde magis, quia annum Imperium Consulare factum est, quam quòd diminutum quicquam sit ex Regiâ potestate numeres*. A meâ parte est & locus Halycarnassæ: *Constitutò Optimatum statu primi Consules Regiam potestatem susceperunt*. Postquàm verò Valerius Consul, qui in expellendis quoque Tyrannis fuerat occupatus, in suspicionem affectati Regni venisse se animadvertit, ne eundem cum Tarquiniiis rebus suis exitum daret, subito popularis factus est, submissisq; fascibus in concionem ascendit. *Gratum id multitudini spectaculum fuit, submissa sibi esse Imperii insi-*

*insignia, confessionemq; factam Populi quam Consulum Majestatem vimq;
majorem esse, uti habet Livius: Hinc contentionibus Plebis impugna-
ta est Aristocratiâ, ac in mixturam cum Democratiâ coaluit. Itaque
haud frustra vociferatus est C. Claudius apud Livium, ita demum liber-
ram Civitatem fore, ita æquatas leges, si sua quisque jura ordo, suam
Majestatem retineat.* Hanc autem temperationem modò unius, mo-
dò paucorum Dominatus excepit. Qvis enim aut Cinnæ aut Sullæ
Tyrannidem ignorat? Qvis Oligarchiam Triumviralem, quam po-
tentia suæ quisque studiò sancivêre Julius Cæsar, Cn. Pompejus Ma-
gnus, & M. Crassus, non perspectam habet? Tandem expletò liber-
tatis & mutationum orbe ad Monarchiam omnia reciderunt; sub
Cæsarum & Imperatorum nomine usque ad nostra tempora & for-
san usque ad finem mundi valituram.

Est sanè non alienum à re propositâ disquirere, an pruden-
ter atque è Republicâ fecerit Valerius, dum dignitatem Optimatum
adeò imminuit. Qvi laudant Poplicolæ consilium, singularem simul
Divinam providentiam admirantur, ut ejectis Regibus Respublica in
æqvabile quoddam civilis disciplinæ temperamentum coalesceret,
cujus initium Aristocratiâ constituere, robur autem & vis Democra-
tica consummare debuerint. Postea rectissimum felicissimumq; ge-
nus Imperii judicant, si Populus rerum summæ præsit. Ita facillimè
ingenia excitari ad virtutes: Ita opibus copiisque florere Rempubli-
cam. Equidem qvi hoc ampliùs expendunt, in Democratias fortasse
non temerè invehantur. Nam quæ de intemperantiâ ac licentiâ
Populi jactantur, plerumque extra seculi exempla sunt. Et certum
est, tale Multitudinis Imperium hodiè vix inveniri, quale sibi plerique,
auditò Democratias nomine, fingunt, i. e. crudum, inordinatum,
nullâ Optimatum autoritate munitum. Talis enim status seipsum agi-
taret, turbaret, præcipitaret. Quamvis autem hæc & similia plura non
abs re & specie differi possint; tamen Poplicolæ factum nunquam pro-
babo. Quæ enim alia contentionum, secessionum, turbarum causa,
quam nimia popularitas? Patres repetebant à Populò translata
Majestatem; Populus asserere delatum ad se ultrò jus arbitriumque
rerum summò studiò annitebatur. Omnia nimirum affectibus & pri-
vatis studiis, non fortunæ publicæ destinabat Poplicola. In suspicio-
nem affectatæ Dominationis venerat ille; ut itaque securus in poste-
rum

L. 2.

L. 3.

rum viveret, non speciem modò Imperii, sed vim ipsam Populo concedebat.

*Interior Romanæ Reipublicæ notitia ratione
temporis variat.*

JAM ad interiorem Romanæ Reipublicæ notitiam accedo, quæ varietate temporis dijudicanda est. Romana enim Respublica non semper eadem mansit; sed ex formâ in formam transibat, & quæ Regnò initiò utebatur, postea Aristocratiam, mox Democratiam suscipiebat.

In statu libertatis, sicuti rem antea perstrinxi, communicatò inter Optimates & Plebem Regimine, non diu potuit concors esse status, quin quilibet mox ordo magnò studiò de dignitate certaret. Consulatum appetebant Plebeji; Patricii credebant pollui auspicia & Majestatem summi Magistratûs, si etiam Plebi pateret. Ex quibus certaminibus hoc factum est, ut interdum Populi, interdum Optimatum amplificarentur jura.

L. 4.

Et in mixtò quidem statu moderatum haberi Regimen sæpè arduum est. Inter duo quippe ancipitia cedendò indulgendò interdum placatur Populus; sicut apud *Livium* modestia æquitasque & altitudo animi in populò laudatur, quandò contentus eò, quòd ratio habita Plebejorum esset, omnesque Patricios Tribunos mil. Consulari potestate creavit. Interdum verò cedendò indulgendoque ad plus appetendum irritatur; sicut haud rarò accidit. *Adeò moderatio tuendæ libertatis dum ævari velle simulandò ita se quisque extollit, ut deprimat alium, in difficili est; cavendoque, ne metuant homines, metuendos ultrò efficiunt: & injuriam à nobis repulsam tanquam aut facere aut pati necesse sit, injungimus aliis.* Quod verissimum *Livii* de hòc statu judicium est.

L. 3.

Attamen certamina ista, quæ initiò circa Magistratus exoriebantur, non ferrò, sed legibus pactionibusque dijudicabantur componebanturque, dum externa streperent arma: Sed, dum foris otium fuit, ne omnia simul langvescant, domi contentiones Plebs & Optimates invicem ferebant, & gloriam, quam apud hostes non possent per discordias civiles quærebant.

Ibi

Ibi Respublica mutationis suæ fatò violentiùs urgeri cœpit, & à perpetuis motibus ejus vires planè debilitatæ atq; exhaustæ sunt.

Ita bellis per easdem vices sæpiùs revolutis ad unum summam potestas pervenit. Licet autem nihil aliud quàm procumbentis statûs instaurationis præferretur; vis tamen prorsus Regia adornabatur. Deprehenditur hîc insigne schema Politicum: ac si Romanorum desideriiis satisfaceret, Principis nomen, quippè quod nihil Monarchicum id temporis notabat, accommodabatur.

Cognitio Reipublicæ interior in Aristocratiam omnem prudentiam Aristocraticam absolvit. Ingenium Optimatum. Quomodo servanda æqualitas inter Optimates & Plebejos.

Interior ista notitia nunquàm otiosum aut in nudâ contemplatione positum nomen est. Itaque si virum sapientem in hîc Imperiò quæro, non aliter eum ex mente scriptorum Romanorum describo, quàm qui Reipublicæ moderationem & prudentiam accuratè calleat, & ex studiò dignitatis, curâ famæ, autoritatis parandæ firmandæque diligentiam, gravitate, magnitudine animi, constantiam res civiles dispensare doctus sit. Summa enim prudentiæ Optimatum defini illa sapientia potest, quàm cognitionem Aristocratiam interiorem appellavi; quasi quis Camillum, Sempronium, Menenium nominaret, qui suâ gravitate, constantiam, moderatione, non minùs apud Patres, quàm Plebem magnum nomen assecuti sunt; & adderet deinde consummandæ descriptionis causâ elogium Quintii, apud Livium: *Æquavit, quod baud facile est, Quintius Consul togatus, armati gloriam collega: quatenus concordie pacisque domesticam curam, jura infimis summisque moderandò, ita tenuit, ut & Patres severum Consulem, & Plebs comem crediderint: & adversus Tribunos autoritate plura quàm certamine tenuerit. Quinque Consulatus eodem tenore gesti, vitæque omnis Consulariter acta verendum penes ipsum magis quàm bonorem faciebant.*

L. 4.

B

Cate.

Cæterùm in hõc statu omnia ad gravitatem & auctoritatem referabant Oprimates, neque legitimum intervallum inter se & Populum constituebant & custodiebant: Omnes enim curas eò intendebant, ut Imperium & honores penes se solos essent, Plebemqve ab omni Reipublicæ munere arcerent, sicut gravissimum hâc de re testimonium est apud *Livium*. Cùm Tribuni rogationem promulgarent, ut Populo potestas esset, seu de Plebe seu de Patribus Consules faciendi, Optimates testabantur, millies se morituros potiùs quàm ut tantum dedecoris admitti patiantur.

L.4.
L.3. Quæ Decemvirorum ambitio fuerit, Magistratum contra leges retinere cupientium, docet idem *Livius*, ut illorum etiam ambitio & impotentia non aliter nisi abrogatõ Decemviratu composita sit. Quantâ postea vi & quàm varii generis callidis consiliis Majestatem suam tueri conabantur Optimates, cùm Tribuni adversus eorum opes undiquaque validissimas, inter alias (de agris puta & pecuniis) hanc etiam legem promulgassent, ne Tribunorum militum comitia fierent, Consul utiqve alter ex Plebe fieret? *Cuncta ingentia*, inquit *Livius*, *quæ sine certamine maximò obtineri non possent.*

L.6. *Omniùm igitur simul rerum, quarum immodica cupido inter mortales est, agri, pecunie, honorum discrimine propositò conterriti Patres cùm trepidassent, publicis privatisq; consiliis nullò remediò aliò præter expertam multis jam antè certaminibus intercessionem inventò, collegas ad adversus Tribunicias rogationes comparaverunt.* Satis scilicet callebant, hîc si victi fuerint, nihil fermè restare, quò meliori jure præ cæteris honores ambire possent. Sed nec hoc solùm cavebant Optimates, ne eadem Plebi cum illis ad honores jura paterent; verùm etiam, si quædam in eam qualicunqve modò translata fuerant, fremebant, sicut locuples testis est universa historia Romana.

Imò ne hîc subsistebant, sed ultrà progrediebantur. Namque, ubi tempus premendi Plebem recuperandiqve jura advenisse putabant, quæ antea concesserunt, eripiebant: Tunc enim adeò submissos non infimorum solùm, sed principum etiam Plebis animos faciebant, ut ne ad Plebejos quidem Magistratus capeffendos petendosq; ulli viro acri experiëntiqve animus esset, possessionemqve honoris usurpati modò è Plebe per paucos annos recuperâsse in perpetuum Patres viderentur.

Quam-

Quamvis autem potissima ratio statûs Aristocratici in eò sita sit, ut Plebs à communionem honorum excludatur; nisi tamen pronâ cervice servile jugum subeat, vix unquam felicitas tranquillitasque Reipublicæ sperabitur. Sanè melius sibi prospexissent Optimates, si temperatione quâdam Democraticâ, vel simulacris Democraticis Plebem suis partibus adjecissent: Si minores Magistratus & curationes cum Plebe communicâssent; si locupletiores præsertim è Plebe affinitatibus sibi conciliâssent. Id quod exemplò Reipublicæ Venetæ pluribus aliquis illustrare posset.

Varias etiam artes adhibebant Patricii, ut in contentionibus de honoribus aliisque rebus Tribunos disjungerent, & aliquem ex societate Tribunitiâ suis partibus conciliarent. Vel unò enim intercedente cæterorum Collegarum adversus Patres molitiones reprimerebantur. Quare Appius Claudius apud *Livium victam*, inquit, *Tribunitiam potestatem in præsentiam re ipsâ, exemplò in perpetuum: quando inventum sit suis ipsam viribus dissolvi.* Erat solennis etiam ars Patriciorum in submovendâ à Magistratibus Plebe: Turbam indignorum Candidatorum intermiscere dignis, & omnium etiam dignorum tedium facere: Rem pluribus verbis explicat *Livius*, qui nihil omisit, quod ad ingenium Optimatum & Senatorum, ad consilia & artes Aristocratix, ad habitum denique Reipublicæ Romanæ, qualis per ea tempora erat, pertineret, ut adeò omni laudatione superior sit *Livii* in hoc genere calamus. Quare illuc delegandi sunt, quibus hic scripturæ modus nequit sufficere.

Hoc mirari satis nequeo, quod Optimates, cum Tarquinius tam graves superbiæ aliorumque facinorum pœnas dedisse constaret, sibi hæc in re non aliquatenus temperaverint, modestiorique gradu inceserint. *Decemviri*, ut habet *Livius*, *quotidiè coibant remotis arbitris: inde impotentibus instructi consiliis, quæ secretò ab aliis coquebant, jam haud dissimulandò superbiam, rari aditus, colloquentibus difficiles, ad Idus Majas rem perduxere. Idus tum Majoræ solennes ineundis Magistratibus erant. Initiò igitur Magistratûs primùm honoris diem denunciatione ingentis terroris insignem fecere. Nam cum ita priores Decemviri servâssent, ut unus fasces haberet, & hoc insigne Regium in orbem, suam cujusque vicem per omnes iret,*

B 2

subitò

L.2.

L.4.

L.3.

subitò omnes cum duodenis fascibus prodire, centum viginti lictores forum impleverant, & fascibus secures illigatas præferebant. Nec attinuisse demi securim, cum sine provocatione creati essent, interpretabantur. Decem Regum species erat: multiplicatusq; terror non infimis solum, sed primoribus Patrum, ratis cedis causam ac principium quari, ut si quis memorem libertatis vocem aut in Senatu, aut in Populo misisset, statim virgæ securesq; etiam ad cæterorum metum expedirentur: Et quæ ibi plura in hunc modum leguntur.

Jam dispiciendum est, quomodo concordia in Republicâ servari queat. Prudens legislator quàm maximè operam dabit, ut decenti modo varii hominum ordines, inter se jungantur. Cæterum quomodo ejusmodi æqualitas introduci queat, ut quælibet Civitatis pars contenta vivat, arduum est. Illustres nobilitatem & divitias jactitant, ac se eminentiores aliis esse, sibiq; ex præscriptò naturæ ut inæqualibus inæqualia deberi. Contrà pauperes, dum libertate se pares vident, divitibus se simpliciter æquales cæteris autumant. Quare ergò æqualibus æqualia non tribuantur? clamitant. Sapientissimus Philosophorum Solon, ut civium animos sibi conciliaret arbitriumq; legum ferendarum consequeretur: se leges omnibus æquales laturum pronuntiavit. Quâ de causâ omnium applausu legislator denunciatus est. Plebs enim de æqualitate arithmeticâ; Optimates verò de geometricâ eum loqui putabant. Verum hisce in præcipitiis si subsistat utraq; pars neque cedendò indulgendoq; concordiam servet, facilè patet ejusmodi certamina in factiones degenerare, neque in tranquillò posse locari Rempublicam, quin alia tempestas resurgat.

6. Polit. 3. Certum autem est, hanc doctrinam de æqualitate inter divites & pauperes nondum plenè ad liquidum deductam esse. Aristoteles ipse, de Democratiâ agens, fatetur admodum esse difficile æqualitatem istam arithmeticam invenire, quæ nemini in Republicâ injuriam faciat, facilius tamen esse eam indagare quàm potentioribus persuadere, ut eâ uti velint. Tenuiores equidem hanc suâ æqualitate nihil aliud volunt, quàm ne à potentioribus opprimantur; difficulter tamen in officio retinentur illi, qui divitiis, opibus, honoribus alios superant.

Aristote-

Aristoteles sanè in opere suò Politicò non semel inculcat harmoniam istam pauperum atq; divitum, putatq; obtineri eam posse aliquò modò, si legislator mediorum civium perpetuò majorem curam habeat quàm extremorum. tunc enim medii extrema in æquilibriò pacis continebunt, firmabuntq; Rempublicam.

Accedant leges severissimæ sanctissimæq;, quibus inter illustres & pauperes concordia sanciat; ut quilibet ordo agat quod suum est. Fortè sic satis benè talis Respublica sese habebit, dum nemo vel se opprimi vel contemni, conqveri queat, sed omnes pari jure inter se vivant. Expresit hanc ordinum harmoniam eleganti simili Cicero in libris de Republicâ, ex quibus hoc fragmentum servavit Augustinus: *Ut in fidibus, inquit, ac fibris atq; cantu ipsò ac vocibus concentus quidam est tenendus ex distinctis sonis, quem immutatum ac discrepantem aures erudite ferre non possunt, isq; concentus ex dissimillarum vocum moderatione, concors tamen efficitur. Et congruens: Sic ex summis, & infimis, & mediis interjectis ordinibus, ut sonis, moderata ratione civitas consensu dissimillorum concinit; & quæ harmonia a Musicis dicitur in cantu, ea est in civitate concordia, arctissimum atq; optimum omni in Republicâ vinculum incolumitatis.* Non incommodè hùc referuntur verba Menenii Agrippæ in pereleganti fabulâ de discordiâ membrorum corporis humani cum ventre, quæ Plebem, quæ in montem Sacrum seceserat, in urbem revocavit, Patribusq; reconciliavit, ostendens in firmâ ordinum conjunctione atq; concordiâ pacem Reipublicæ; in discordiâ verò interitum positum esse.

L. 2. de
Civ. Dei.
c. 21.

*Tribunorum Importunitas. Mobilitas Plebis.
Prudentia Popularis distinguitur à Tribu-
nitiâ calliditate.*

REx è throno venerandus conspicitur; ejus voluntas suprema, ac viva lex est. Optimates inter cives præfulgent, atque ad civilem habitum propiùs accedunt. Populus rerum Dominus quasi *Ἀριστοκρατικός* & virtute moreq; Optimatum componitur. Si hoc temperamentum cessat, jam vitiosus est status, quod Plato disertè monet: Idem Livius confirmat, ubi tempus institutæ Romanorum

L. 3. de LL.
L. 3.

rum libertatis considerat, ac fecem Romuli talem non fuisse judicat, quæ jam tùm potuerit libertatem usurpare. Quâ ratione simul patet, in deteriorem partem Rempublicam Romanam rapere annis fuisse Tribunos Plebis, postquàm illi inter Plebejos & Patricios Magistratus divortium fecerunt. Res enim per longas injurias eò deducebatur, ut quicquid Plebs Tributim jusisset Populum universum, seu omnes Quirites teneret. Quapropter perpetuis seditionibus premebatur Roma, quod certissimum non benè constitutæ Reipublicæ indicium est. In probâ Democratiâ pari jure veniunt Patricii cum Plebe. Hic verò administratio quidem concedebatur Senatui Consulibusque, sed precaria & cum provocatione ad Plebem. Contra naturam verò est ignobiles nobilibus, servos dominis, imperitos sapientibus imperare.

Liv. L.3.

Creati initio erant Tribuni non aliò fine, quam auxilii causâ: non intercedere poterant nisi in urbe; Imperiò prorsus carebant; sed mox totius rei summam ad se trahebant; ipsos Patricios non modò accusabant, verùm etiam condemnabant. Atque jam tùm, cum adhuc Patribus de jure suo constabat, Q. Fabius Præfectus urbis confessus est: *Nihil non Tribunitia potestati licere: si quid Consules superbè in aliquem civium aut crudeliter fecerint, diem dicere, accusare his ipsis iudicibus, quorum in aliquem sevitum sit.* Nec ab ipsâ quidem Dictatoriâ Majestate abstinere Tribuni, quin intercessione suâ Papyrii de Fabiò Magistrò Equitum judicium impedire & pro Imperiò reum absolvere vellent. Imò omnem vim legum ferendarum atque abrogandarum sibi vindicabant Tribuni. Quâ de re non omittendum gravissimum Taciti judicium; *XII. Tabulas alias leges secutas, etsi aliquandò in maleficos ex delicto, sæpius tamen disensione ordinum & pellendi claros viros, aliisque ob prava per vim latis esse.* Hinc Tribuni non temperatis finibus Populum moderabantur, sed ad omnes motus & dissidia excitare studebant. Taceo nunc Patricios Romanos, quia interdum ira & studio partium flagrabant, hoc ipsum querentes; illos potiùs, qui horum causas procul habent, testes adducam. Eminent primùm memorabilis Q. Fratris apud Cic. ita differentis sententia: *Mibi quidem Tribunitia potestas pestifera videtur, quippè quæ in seditione & ad seditionem nata sit, cujus primum ortum si recordari volumus, inter arma civium, & occupatis & obsessis urbis locis procreatum videmus.* Patribus omnem honorem

L. 2.

L.3. de LL.

rem eripuit, omnia infima summis paria fecit, turbavit, miscuit. Florus
rotundè: Seditio omnium causas Tribunitia potestas excitavit:
quæ specie quidem Plebis tuenda, cujus in auxilium comparata est, re
autem dominationem sibi acquirere, studium Populi ac favorem agrar-
griis, frumentariis, judiciariis legibus aucupabatur. Quid de Tri-
bunis prudentissimus Dio? ἔτι γὰρ, inquit, ἐμετρίων, ἢ ὕγιες
ἔδεν ἐποίων, ἀλλ' ἐπ' ἀλλήλων παρώμνητο, πολλὰ δαπανώμενοι,
πολλὰ μαχοίμενοι. Neque moderati sanique quicquam agebant,
sed tumultuabantur invicem turbabantque, tum largitionibus mul-
ta, tum plerumque certaminibus gerentes ac cadibus. Quid, quem antea
laudavi, Livius? mansuetum malum & per aliorum quietem ma-
lorum exoritur, Plebem & Plebicolas appellat. Ultimam hanc,
sed gravissimi scriptoris Sallust. sententiam habeto: Ex Tribunitia
potestate omnes discordias esse accensas.

Cæterum mobili esse ingenio vulgus, quis ferè scriptorum est,
qui non conqueratur? Sufficiat ex innumeris unus Corn. Nepot. in
Timoth. locus: Populus acer, suspicax, mobilis, adversarius, invidus
etiam potentia. Præ aliis verò Populo Romano vitium hoc innat-
um fuisse autor est Herodian. Locum hunc elegantissimè Politia-
nus ita reddidit: Nam etsi ubique vulgus semper ad res novas levissimum;
tamen Romana Plebs in primis, quæ ex magnâ variâque peregrinorum
multitudine constat, longè cæteris mobilior est. Facile igitur lubrico
hic Plebis animus ad novandas res impelli potuit, præsertim cum
nunquam auctores ducesque defuerint, qui omnem suam operam in
id impenderunt, ut seditiosis suis concionibus nunc detinerent
Plebem, nunc concitarent. Quoties enim legimus Tribunos istos
comitia turbasse, pro Tribunis militum applaudente Populo Con-
sules postulasse; rursus nunc hoc, nunc illud, prout inconstans
quædam animum cupido incesserat, à Patribus maximo certamine
efflagitasse? Ita ut aliquis sequenti oratione, quam ego ex mente
potius quam verbis Livii concepi, non immerito in Plebis mobili-
tatem invehisse videatur: Quorsum vestra audacia prorupit? Tri-
bunos Plebis concupistis, concordie causam concessimus; Decemvi-
ros ad finiendam mutua certamina desiderastis, creati passi sumus.
Decemvirorum vos pertæsum est, Magistratu abdicavimus. Consu-
latum communicari vobis voluistis, tempori & necessitati cedentes
Majestas summi Magistratus vobis patuit. Nobilissimos viros ex
urbe

L. 3.

L. 40.

L. 3.

in orat.
Philipp.
cont. Lepi-
d.

L. 3.

L. 3.

urbe ejecistis. Nondum desinunt suspiciones perpetuæ, sinistri rumores, calumniæ, invidiæ, inimiciæ in nos; in nostri exitium tenditis, vobisq; intempestivum sub formâ studii in Rempublicam dominium quæritis. Proh Deum immortalem! quis finis erit discordiarum, ecqvandò unam urbem habere, ecqvandò Romam communem patriam salutare licebit?

in Catil.

Scilicet otium & cæterarum rerum abundantia lascivos reddebat Plebis animos; undè & certamina magnò studiò quærebantur. Non minùs elegantèr quàm verè *Sallust.* *Qui labores, pericula, dubias atq; asperas res facile toleraverant, iis otium, divitiæ, optanda aliis, oneri miseriæq; fuere.* Certè, quamplurimos urbanos motus lascivos ex secundis rebus vulgi Tribunorumq; conciones excitasse, satis constat. Nonnè Canuleji in curiâ proloqventis, se, nisi suas leges tanquàm victoris Patres accipi sinant, delectum impediturum, oratio ex hòc fonte promanavit? Itemq; C. Terentilli Arfæ Tribuni per aliquot dies superbiam Patrum ad Plebem criminantis. Quam effrenam petulantiam non nisi contentionibus reprimere & retundere Optimates potuerunt. Nequè verò Romanis tantùm, otium lasciviam, lascivia certamina peperit; aliis etiam gentibus hæc exitio fuerunt. Respiciamus modò Heracliensium Rempublicam apud *Justin.* unde Alcibiades Atheniensibus suis bellum Siciliense svadens ita orationem suam concludit apud *Thucyd.* *Universè (loquor ex interpretatione illustris Enekelii) autem ego ita censeo, civitatem negotiis assuetam, si in otium convertatur, quam proximam exitio fieri: eosq; homines quàm tutissimè degere, qui præsentibus institutis legibusq;, licet fortè pejoribus, Rempublicam sine certaminibus administrant.* Hinc Romana Plebs Imperatores suos lapidibus obruere, hostem aggredi nolle, imò vinci velle: Consulibus fasces frangere, eminentes illustresq; viros exiliò multare, occidere, & quæ his sunt affinia, libertatem putabat. Si quid ab Senatu Tribuni petierant, clamorum atq; contentionum finis priùs non factus, quàm se non sine fructu ad certamina ruisse, cerneret vulgus. Non contenta præsentibus erat Plebs: mox namq; ubi occasionem majora postulandi oblatam sibi cognoverat, eadem intemperantiâ utebatur. Non est ut longè quæsita Exempla protraham, plurima habentur apud *Livium.* Premebantur ab hoste Romani, tum alius alium confirmare, ne nomina darent, cum omnibus potiùs, quàm solos

L.16.

L.6.

solos morituros: Patres militarent, Patres arma caperent, ut penes eosdem pericula belli, penes quos præmia essent. Inflammatis his vocibus singulis, contentiones inter Patres & Plebem quotidiè magis crescere, & more ignis latius vagari; donec scissâ tandem Republicâ Plebs in Sacrum montem secesserat, quæ non nisi facundâ Menenii Agrippæ oratione sedata, reduci potuit. Alia ut silentiò præteream, quæ Tribunorum, cum abrogatò Decemviris Magistratu, Plebejis respirandi facultas daretur, intemperantia fuit? Quàm crudelitè in eos animadverterunt? Modò exilii causâ solum vertere jusserunt, modò bona illorum publicaverunt, modò in vincula deduxerunt; quid? ita se gesserunt, ut Patrum nonnulli sibi ipsis (metu credo, ne familiæ suæ macula inureretur) ante dictam à Tribunis diem mortem consciverint. Sed quid hinc miror Plebem, cum tamen adversus ipsos Tribunos eadem intemperantiâ & licentiâ grassata fuerit? A Virginio & Q. Pomponio diem dicebat, denisque millibus æris gravis condemnabat. Quod ægrè ferens inclytus ille Heros M. Furius Camillus palàm sceleris, & stultitiæ Plebem arguebat; quæ jam in suos versa, non intelligeret, se pravò judiciò de Tribunis intercessionem sustulisse: Intercessione sublatâ Tribunitiam potestatem evertisse.

Ex his atque talibus luculenter patet Tribunitiam illam calliditatem à prudentiâ Democraticâ multùm distare. Ita potiùs dispensanda atque commutanda est prudentia Democratica, ut universorum salus attendatur. Laudantur hæc in parte Fabii, dum populares dicuntur apud *Livium*, ad quod elogium nequam morum facilitas ac humanitas sufficit: sed magnitudo animi, ac cauta quædam prudentia ad explendum hujus nominis decus requiritur. Apud *Livium* sæpius Valerius ille Poplicola nomen viri & legislatoris popularis sortitur; quamvis non desint argumenta, quibus πολιεία ejus Δημοκρατική non immeritò incusari possit. Uti enim jam dixi, nulla popularitas ferenda est, nisi quæ suas rationes ad Reipublicæ & universorum salutem accommodat. Interim non prudentèr modò, sed & δημοκρατικῶς populari suò officio fungetur, qui apud Populum nonnulla simulare, motusque ejus variis commentis ad salutem publicam attemperare novit. Cæterùm cui Democraticam prudentiam perdiscere opus est, *Aristotelis*, *Demosthenis*, *Thucydidis*, *Polybii*, *Livii* scripta studiosè versa-

L. 2.

C

re

re debet. Cicero quoque in hoc negotio singulariter commen-
dandus est. Adjungi debet ex recentioribus *Clapmarius*, qui in com-
pendio prudentiam Democraticam ejusque simulachra exhibet.

*Principatus sub Augusto quibusdam notis indi-
catur. An Tyrannicum Augusti fuerit Imperium
examinatur. De S. R. Imperio aliquid
dicitur.*

Cum post varias mutationes summa Imperii Romani ad unum
translata esset, illud inter prima consilia sibi amplectendum
ducebant Imperantes, ut sub schemate prioris status novum con-
firmarent. Consulatus vocabulum in Republica libera eminent, hoc
opportune usurpavit Augustus. Principatum occupaverat ar-
mis: armis, inquam, civilibus, quae semper injusta atque turpia sunt.
Ergo Principati detrahenda invidia, & speciosus legibusque &
amicus & conformis titulus quaerendus. Quomodo hoc fieri po-
terat, nisi civile Magistratus nomen haberetur? Consul a libera
Republica amatur, omnibusque lubentibus & volentibus rerum
summae praest. Quod igitur felix faustumque sit, Augustus mu-
nia omnia & jura Imperii sibi vindicat, frangit atque flectit ea,
quae sibi ad Imperium grassanti obstant, non ut Rex, qui solus ar-
biter rerum, sed ut Consul, qui legibus omnibus solutus est.
Accedit quod summum illum honorem ad Senatores saepe quidem
transferebat, sed sine potestate. Digna est illa calliditas, quae
hoc loco penitus introspeciat. Cum septimum esset Consul,
orationem in Senatu habuit de Imperio deponendo, reddendaque
Republica, quasi festus laboribus, & invidiae singulare Imperium
comitanti impar. Quis autem hujus artis finis? scilicet ut incita-
ret homines ad offerenda ea, quae per modestiam ipse videbatur sub-
terfugere, & non modo vim Imperii ipsam in se traheret, sed artifi-
ciosam Tyrannidis declinatione ipsum jus legitimum impe-
randi totumque ἀξιώμα justam legitimamque ratione adepti
Principatus consequeretur. Vid. *Dion.* Accedit simulachrum
Democraticum sub Tribunitia potestate. Populus Dictaturam
ei offerebat; hoc invidiosum fastigium constantissime vitabat.
Tribu-

L.53.

Tribunitiam agere vult personam, ut sub specie tuendæ Plebis Monarchicum Regimen strueret. Atque ita traducto semel ab Augusto ad arcanum Dominationis hoc munere, secuti Principes per multa secula id consilium imitati, ut non modo sibi ipsis sumserint hoc nomen, sed & suos successores hoc veluti caractere Principalis honoris insigniverint.

Dum itaque imago antiquitatis singulari artificiò, & simulachra libertatis repræsentantur, non statim in promptu fuit cuivis, de converso Romanæ Reipublicæ statu judicare. Certè non in corticibus nominum hæreret, sed nucleum rerum ipsarum penetrare debemus. Tacitus ubique vim & nomen opponere solet: *Imaginem retinendi donandiq; Armeniam penes Romanos fuisse, vim penes Partos. Idem: Honorem Imperii penes Titianum, vim ac potestatem penes Proculum Præfectum. Sveton. vim & speciem conjungit, dum ait: Principatum, quamvis nec occupare confestim, neque agere dubitasset, & statione militum, hoc est, vi & specie denominationis assumptâ, diu tamen recusavit impudentissimò animò.*

L. 15. Ann.

L. 2. H.
Tiber.

Nunc de jure Populi, de jure Senatûs vanæ sunt disputationes, dum in unum omnia pridem cessere. Sæpiùs adhuc solent pelliciendis hominum mentibus, dissimulandisq; altioribus propositis simulachra libertatis adhibere Principes: cum ipsis tamen una sit propositi ratio, tueri jus ac Majestatem sui loci, summumq; rerum judicium sibi vindicare sine lociò, sine auctore.

Sed ad Augustum redeo: singulos hominum ordines demereri, sibiq; conciliare studebat. Benevolentia equidem maximum Imperantium robur est; quæ tamen in novò statu præprimis observari solet, ne quis eodem indelectetur. Hic prudentiam Augusti satis mirari nequeo: Milites, qui robustissimam Imperii partem constituebant, donis præmiisq; largè distributis, præsertim post victorias, facilè devinxit: Populo singulare delinimentum adhibuit ex annonæ ubertate: Dulcedine otii omnes pellexit. Corpus enim Reipublicæ tot annorum motibus quassatum, jam nullâ re magis delectabatur quam pace, sub his artibus animos civium non sibi conciliavit modò, sed & obligavit, ut facilè nunc illa munia pariter & jura ad se traheret Augustus.


Nimis

Nimis autem durè illi philosophantur, qui perpetuâ Tyrannidis notâ Augusti Imperium traducunt. Nam quod de proscriptione præstantissimorum virorum dicitur, vix in fatali Imperii mutatione invenit locum; præsertim quoniam maxima civitatis pars hõc novõ statu delectabatur. Neque diffitebitur quisquam Rempublicam non aliõ modõ conservari potuisse, nisi ad unum summa rerum perveniret. Et nota est ejus consultatio, quâ statim post oppressum Antonium de reddendâ Republicâ seu pristinâ libertate cogitavit, adhibitis duobus præclarissimis viris M. Agrippâ, & C. Mæcenate, quorum diversis rationibus probè expensis, acquievit in hujus consiliõ, ut scilicet Monarchia strueretur. Præterea Deus ad salutem Reipublicæ omnia direxit: grassabatur Augustus initio nimiâ licentiâ, postea se totum civibus dedit, utilitati publicæ diligentissimè serviens. Distingvenda igitur accuratè sunt, quæ ad Reipublicæ dispositionem & firmitatem spectant, ab iis, quæ ex consiliõ disponentis cum injustitiâ atque inæquitate conjuncta sunt.

Non abs re foret subsequentiæ Principum artes & facta examinare. Mihi autem non licet modum dissertationis excedere. Itaque sufficiet hoc propositum exemplum Principatûs Romani.

Cæterùm ab eõ tempore, quõ Romanum Imperium suos titulos in Germaniam intulit, non unõ modõ illud administratum est. Nonnulli Imperatores infinitam Dominationem sibi destinabant: alii civilem conditionis humanæ morem in summâ potestate interpretandâ, rectioris propositi ducebant. Imò neque uni semper eadem administrandi ratio fuit. Ne de jure successio- nis, aut electionis quicquam dicam. Hodie & Cæsari prærogativa, & Statibus libertas concedenda est. ut adeò medius inter Monarchiam & Aristocratiam, & ex utrâque mixtus oriatur status. Fortè non altiùs inquirendum erat. nimis enim curiosi sunt, qui, nescio, quõ animi pruritu, disputant: utrum in hac mixturâ Monarchia, an Aristocratia prævaleat.

Sed hæc hæc hactenùs.



ti-
i-
rii
is
m
m
a-
i-
is
de
e-
t:
i-
la
a-
t-

ta
e-
is

os
-
e-
a
e
-
-
-
s.
i,

Handwritten text in red ink at the bottom of the page.



AKTc 1278

nl

Kont





KODAK Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2000

Kodak
LICENSED PRODUCT

Inches

Centimetres

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black



da
Ta
ac
bi
tin
nu
ub
eff

pte
fid
tun

cile
Sun
doc